



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

VI. De decimis & censu ecclesiae detentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

suos parietes, eaque, quæ est manu regis tradita, tranquilitas, pie, inuiolateque seruentur.

II.

Porro autem si quis Christianam fidem exuerit, adeoque dictis, aut factis cultum promouerit barbarum, capitales estimatione, mulctata, aut ipsa legis violatae poena, prout ipsa feret facti ratio, culpa pensator.

III.

Si quis sacris initiatus clepsiterit, dimicarit, peierarit, aut fornicatus fuerit, capitales estimatione, mulctata, aut legis violatae poena, pro ipsa delicti ratione compensato: Deo saltem, prout se regula habuerint ecclesiasticae, faciat satis, atque in custodiam, ni fideiussores admouerit, coniector. Sacerdos si in diebus festis, aut ieuniis populo indicendis errauerit, 30. solidis, si quidem id inter Anglos euenerit, mulctator: sin idem in Dacis acciderit, sequimarcam pendito. Sacerdos si ad dies in hoc condicatos oleum non parat sacrosanctum, aut baptisma, cum vsus fuerit, denegabit, inter Anglos mulctator, in Dacis autem legis violatae poenas luito, oras nimirum duodenas numerato. Si quis sacris initiatus capitale quidquam perpetrarit, capitor, ut tandem episcopo criminis admissi poenas dependat.

IV.

Præterea autem sapientibus visum est, vt qui feco se polluerint incestu, eorum qui fuerit superior rex habeat, inferiorem episcopus, ni citius cumulate Deo & hominibus compensarint, & quod fuerit eis ab episcopo indicatum, confecerint. Si duo fratres germani, aliive sanguinis necessitate iuncti cum vna eademque vxore rem habuerint, capitales estimatione, mulctata, aut legis violatae poena, prout æquum fuerit, ipsaque feret facti ratio, compensanto.

V.

Si quis rei capitalis damnatus, sua ingenua sacerdoti peccata confiteri cupuerit, id ei conceditor. Omnes autem studiose ac sedulo iura omnia diuina prouehunto, ita ut diuinam misericordiam consequantur, atque has a sapientibus irrogatas sontibus poenas declinent.

VI.

Dacus si decimas non dederit, legis violatae poenas soluto, Anglus mulctator: Dacus si debitum Romæ num-

mum retinuerit, legis violatæ pœnam subito, Anglus mulcta afficitor. Dacorum quisquam si ad candelas nummum non dederit, iuris violati pœnas luto, Anglus plectitor. Dacus si iustum nomine aratri eleemosynam non soluerit, ruptæ legis pœnam dependito, Anglo autem, si quid delinquitur, mulcta irrogator. Dacus si iura, aut officia quæcumque diuina suppresserit, aut retinuerit, legis violatæ pœnam dependito, Anglus mulctator. Si quis contumaciter obſistendo alium iura atque officia diuina petentem vulnerarit, capitale esto: Sin mortem obtulerit, ab omni legis patrocinio deſtitutus habetor, eumque omnes iustitiae cultores vel inuitum ac læſum capiunto. Atque si eum suapte culpa iuri diuino aut regio fe oppONENTEM morte occubuisse liquido confirmetur, propterea ne quidquam penditor.

VII.

Dacus si die dominico quidquam fuerit mercatus, re ipsa, & oris præterea duodecim mulctator, Anglus 30. ſolidos numerato. Liber si die quocumque festo operis quidquam fecerit, aut seruituti ſubiaceto, aut mulctam, legisque violatæ pœnam dependito: ſeruus vapulato, aut pre-
cio virgarum metum redimoto. Dacus ſi ſeruo ſuo inuito opus addixerit die quocumque festo, rupti iuris pœnam dato, Anglus mulcta afficitor.

VIII.

Liber ſi indictum iejunium cibo ſumpto diſſoluerit, & mulcta, & ipsa legis violatæ poena plectitor, ſeruus vapulato, aut pre-
cio redimoto.

IX.

Porro autem festis diebus omnibus, & legitimis ieuniis ordalium nullus ingreditor, neve ad iufiurandum addic-
tor. Dacorum ſi quis contra fecerit, legis violatæ pœnas dato, Anglus mulcta plectitor.

Nemo, quoad eius fieri poterit, cuiuscumque ſceleri-
ris admissi conſcius, die dominico morti obiector, ve-
rum comprehensus, vſque dum dies festus tranſierit, te-
netor.

X.

Si cui membrum corporis ſceleris admissi cauſa præci-
datur, ifque tres noctes ſuperstes fuerit, quisque deinceps

Concil. Tom. 24.

Xxxij